

matur sub subjecto, de ea ipsum etiam verificatur prædicatum; ita hic, cum plures actu non sint, nihil subsumi potest sub subjecto, de quo non ipsum etiam dicatur prædicatum: & esto concessivè, quod quippiam porrò subsumi possit, de ipso tamen etiam dicetur prædicatum. Unde talè naturam, in uno saltem individuo actu & ordinariè fundatam, sed ita concessivè spectatam, etiam speciei nomine solemus dignari, sed distinctionis gratiâ *speciem monadicam* dicimus.

§. 5. Habent autem hanc ut ita dicam adoptionis prærogativam illa saltem individua, quæ & ipsa per naturam in existendo perpetuò permanent, interitus expertia, & attributa quædam habent tum sibi solis necessariò convenientia, tum ex suis causis de hoc suo subjecto demonstrabilia: reliqua verò, quæ ortui & interitui sunt obnoxia, licet individuum præcisâ ratione pari passu cum illis ambulent, quia tamen ignobiliora sunt, nec attributum habent sibi solis necessariò conveniens & demonstrativum, pro caducis, ut etiam reverà sunt, habentur, nec beneficio adoptionis in speciem digna sunt. Unde illa etiam individua adhuc sub scientiam cadunt; hæc à scientia, quæ rerum necessariarum est & æternarum, prorsus excluduntur, I. Post. An. 7. VI. Eth. C. 3. Hinc in Physicis partem Disciplinæ videas de Mundo, de Sole, de Terra, de singulis Planetis &c. de Petro Paulo, Bucephalo, Glycerio &c. non item, nisi quod penes Historicos quicquid notatu dignum fuerit, de personis & rebus etiam temporariis sub observationum (non demonstrationum) titulo tradatur.

*Individuorum perpetuorum*

*Attributis scibilibus instructorum,*

*Inde in speciem adoptionis*

§. 6. Illa tamen individua sub scientiam cadere concipiuntur, non quatenus individua sunt, sed quatenus adoptionis jure speciem saltem concessivè repræsentant. Scientiæ enim & effata scibilia, quod inter hypotheses pluribus explicabitur, subjecta sua supponunt non ut actu existentia, sed ut concernentiæ prædicati necessariò substantia, non attendendo, unum tantum sit in naturâ quod exercitè possit excipere prædicatum; an plura; an adhuc nullum.